



BIBLIOTECA
COMUNALE
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI
DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE
CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

CAMPI FRANCESCO NICCOLÒ, *Oratio ad celsissimum, ac reverendissimum D.D. Iosephum Victorium de Albertis episcopum, & principem Tridenti recens inauguratum*, Trento, Francesco Nicolò Vida, 1689.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T I-op c 290

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/313>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.

Ms. A. 9. 2. 2794.

BIBLIOTECA COMUNALE
TRENTO



ex libris



K 2020985

D 2020962

Stca

T 1-op c 290

117P 35

ORATIO

AD CELSISSIMAM,

A C

REVERENDISSIMAM D. D.

IOSEPHVM VICTORIVM
DE ALBERTIS

Episcopum, & Principem Tridenti
Recens inauguratum.



TRIDENTI M.DC.LXXXIX.

Apud Franciscum Nicolaum Vida, Typograph. Episcop.
Superiorum Permissu.

MICHAEL VICTORIAN

W. L. B. A. S. I.

1851

1851

Ad Celsissimum ac Reverendissimum D.D.

IOSEPHVM VICTORIVM

DE ALBERTIS

Episcopum & Principem Tridenti recens
inauguratum.

O R A T I O.



Doloris acerbitatem, quæ defuncto PRINCIPi parentabat, nuper omnium consensu delectus Antistes nobis penitus mitigavit. Tanta enim, qui sacrum Principatum obtinuit, nos affecit lætitia, ut in præteritis lacrymis ambrosiosi esse possimus, nostrisque calamitatibus summæ felicitatis argumentum gratulari debeamus. Quamobrem erigite animos, spesque vestras Fortunatissimi Populi, & in plausum theatrum vertatur scena mœroris, quo confecti iacebatis. Essent in scelere lacrymarum officina, si luctus ipse vultum hilaritatis non induceret. Si enim dolendum iam fuit, quod Optimum Ducem amisimus, gaudendum nunc est, quòd meliorem suscepimus. Nobis igitur perinde, atque tibi tuam gratulamur dignitatem, Princeps sapientissime, qui populis, quibus præsidere cepisti finis sis omnium calamitatum, idemque ingentis lætitiæ initium: Qui unus per hæc tempora luctuosissima clavum tanti Imperij sapienter administrare potes. Quæ quidem laus tua tanta est, ut cæteris tuis anteponendam putem. Quare liceat mihi omnia prospera, atque secunda Tridentinis Civibus, Populis, atque ijs, qui tibi Principatum demandandum existimarunt, auspiciari; sic enim fiet ut sine vlla modestiæ tæe offensione per tuarum virtutum laudes, liberius excurrat Oratio: Laudes enim, quæ publicæ sunt felicitatis auspicia, vel modestissimo cuique placere possunt.

Verè fortunatus est, & propè beatus Populus ille, qui eum accepit Principem, quem sapientissimus quisque deberet expetere; in quo scilicet ea omnia, quæ faciunt virum maximum, omnique laude dignissimum sita sint. Magnum quidem antea tæe vitæ fructum cepisti Præsul Celsissime, dum ad Solium ascenderes; maiora tamen com-

moda polliceri sibi ceperunt Populi, ex quo in sublimi throno collocatum, ac Lucernam nitido etiam prius splendore lucentem Ecclesie Tridentine candelabro impositam conspexerant, Teque modo Principe, ac Præsule suo eò gratulantur impensas, quò luculentius ductu, auxilioque tuo ad publicam utilitatem opus fore agnoscunt; ac proinde ij ipsi, qui tuas virtutes præclarissimas tanto honore cumularunt, imper unmeriti sunt. Ex hoc enim sapientissimo consilio, gravissimòque iudicio omnibus demùm cognitum est, his esse charissimam Patriam, pulcherrimamque virtutem, dum suis Civibus optimum Principem delegerint, dum Summum Virum sacrà dignitate donarint. Sed parùm illis laborandum fuit; non enim perdifficilis deliberatio, quemnam potissimùm deligerent Antistitem, dum maximus esse deberet, qui crearetur. Unus eras, qui præ omnibus infula dignissimis, dignior videbaris: Unus eras, quem omnes boni suum Antistitem taciti designabant. Probatum itaque solùm fuit populorum studium, & votis Civium factum est satis, dum auctoritate sua, atque suffragijs amplissimis eum iusserunt Principem, qui iam pridem in omnium animo Rex esset. Omnes enim Te secreto consilio suum sibi destinaverant Antistitem. Multis desuit potestas, plerisque auctoritas, sed nulli voluntas. Tunc primò Principis deligendi auctoritas in ambitione fuit, cum omnes vellent posse, quod velle deceret. Quod nobis ex eo satis apertum est, quod à novi Præsulis dignitate ad omnes bonos præter Te unum Princeps modestissime summa lætitia pervenerit. Quidni verò in hoc communis felicitatis auspicio maximopere lætarentur cives universi, dum Te Concivem suum Patrie universæ tertium Patrem recenserent. Quidni lætarentur reliqui omnes, cum in Victore suo summa essent, quæ deceant Optimum Principem, & Sanctissimum Præsulem. Quid enim est, quod honestè expeti possit, quod in Te non admiremur? Generis claritudo, maiorum gloria, familiæ splendor magna quidem, atque huiusmodi sunt ornamenta, quæ alium quemvis maximum possent ostentare, Tu verò proprijs virtutibus maior factus meritis tuis mavis, quam laudibus tuorum ornari. Maximi forent Avi tui, nisi maiorem Nepotem obtinerent: satis illi quidem per se ipsi clari sunt, pulchrius tamen in Te vivunt superstites. A Te uno, dum referas omnes, cum laude vincuntur, qui optimis meliores essent. Consultò igitur abstinco memorare Georgium de Albertis illustrem Virum, cuius præclarissimum nomen, vel post sæculum, & amplius vivit in mentibus ad posteroram æmulationem, silebo Alber-

tum è Societate Iesu, quem pijsimum iuxta, ac eruditissimum testan-
tur Typis vulgata volumina; præteribo reliquos omnes gentiles tuos
cùm sago, tùm toga insignes, singulos enim in Te ad vivum expressos
conspicamur, dum eorum virtutes fuere tibi ad imitationem incita-
mentum, non ad ambitionem, qui nempe Tuum id esse non arbitraris,
quod ipse non feceris. At sine iniuria profectò Parentem tuum Felicem
pari silentio involuere non possem, nisi sapientissimi Viri Doctrinam
dexteritatem, probitatem, quas prædecessorum tuorum Consiliarius,
& Cancellarius prodidit, perennis fama esset elocutura. Is nominis
sui felicissimum omen in Te ubertate tanta transfudit, ut à Te solo po-
tuerit superari, qui illius, quas superius retuli virtutes, ita es assecu-
tus, ut ad Pontificium Patriæ solium evehi meritis sis, dubiumque fe-
ceris, an plus Doctissimo Patri debeas Filius, an maximo Filio Pater.
Verùm utrunque debeas Parenti ingenuam indolem, excelsum ani-
mum, acerrimum ingenium, quidquid tamen attingit summum virum,
id totum tuum est. Quid autem in te est, quod non sit summum? quod
non sit maximum? maximus in negotijs labor, in periculis fortitudo,
industria in agendo, celeritas in conficiendo, quæ virtutes te fecerunt
Principem, antequam deligereris. Maxima est, quam in eorum salu-
tem, quibus præes, diligentiam, cogitationem, curam, & providen-
tiam conferri cernimus, ita enim Sacrum auspicias Principatum, ut
prælua quoque ipsa Imperij tui excellentiora sint ea gloria, quam
toto Imperij tempore vix alij consequuntur, Quæ citra adulationis
notam non posse dici solus ille iudicabit, qui ignorat, quantoperè ex-
tirpare vitia, virtutes invehere, Ecclesiasticam disciplinam promove-
re contenderis iam tùm, cùm Vicaria potestate Pontificali munere fun-
gebaris, aut qui adeò cæcus est, ut in præsentiarum non videat, quæ
videre cogitur, vel invitus. Tu enim unus sollicitus es cæteri omnes
securi; unus vigiles agis dies, cæteri quiescere possunt. Hac tibi con-
ditione Pontificalis placere potuit dignitas, quia te maioribus exer-
ceret laboribus, opportunamque Rei procurandæ publicæ occasio-
nem, pulchràmque necessitatem præberet. Ita Præsul imperas, ut ea
cogas peragere, quæ mandas; facis enim quæ doces, & iure optimo
potes omnibus proponere tanquam exemplum pulcherrimum, omne
quod meditaris, & facis. Si præclarissimorum virorum imagines mu-
tæ eam in se vim habent, ut intuentium animos vehementissimè accen-
dant ad virtutes, neque aliter ea flamma, quæ in pectore crevit ex me-
moria rerum gestarum, sedari possit, nisi eorum, quos admiramur,

famam, & gloriam adæquaverimus; quibus nos stimulis non admone-
bis? immò quam necessitatem ad optima quæque non indicet viva no-
stri PRINCIPIS imago? Non tibi leges ferendæ, ut iubeas ea, quæ
facienda sunt, & prohibeas contraria. Ipse Lex es, imperas dum fa-
cis. Te itaque semper in omni re sibi proponat, animum, mentemque
suam hac cogitatione Excellentis hominis conformet quicumque ve-
lit optimus esse. Optimus erit qui tibi simillimus, tibi que simillimus,
qui laudibus omnibus ornatus, bonisque artibus præditus sit. Quan-
ta enim virtutum tuarum concordia! quam mira consensus! Quæ in
alijs divisa æcepimus, aut vidimus, in Te uno pulchra cognatione,
atque incredibili conspiratione conveniunt. Excellens aliquis extitit
in re privata curanda, sed in publica obsolevit; Alium Doctrina, sed
non pietas illustrem fecit: reverentiam ille terrore, amorem alius hu-
manitate captavit: Ille quæsitam in litteris gloriam, hic in negotijs
transigendis partam anisit in litteris: Pauci denique fuere, quorum
vita nihil omnino vitij saperet. At in Principe nostro omnia, & sum-
ma. Quid enim? an gravitati comitas, pietati doctrina, an maiestati
detraxit humanitas? Severus es Princeps Lectissime, sed hilaris; iucun-
dus, sed terribilis: venerabilis, sed idem facillimus: ad eò enim faci-
les aditus ad Te privatorum: ita liberæ querimonix eorum, qui iniu-
ria aliqua lacesse sunt, ut is, qui dignitate Principatus excellit, facili-
tate par infimis esse videatur: quos dignitatis auctoritate deterret, eod-
em allicit humanitate. Qui te ut Principem fortissimum metuunt, ij-
dem ut Patrem amatissimum diligunt, ut Sanctissimum Antistitem ve-
nerantur. Illud verò in vitia bellum geris, ut scelus nullibi tutum
semper palleat, virtus ubique secunda nunquam formidet. Acer es in
fontes, sed idem lenis, idem benignus. Mederis dum vulneras, ea
enim tua est in crimen animadversio, ut reus veneretur poenam in lu-
dice, oderit culpam in poena. Quàm mites porrò, quàm prudentes
obiurgationes! quàm sine ira! quàm sine perturbatione! rarò sacrum
videbimus ensẽ vagina exertum: Ut enim mores componas, pieta-
tem restituas, vitiorum elementa refeces, satis est, si ea utaris, qua
maximè polles, ingenij dexteritate, & gravitate verborum. Ad eò re-
ligionis servas iura, ea pietatis, atque æquitatis tuæ penes omnes
fama pervagata est, atque omnium animis iam inveterata infedit, ut
nemo audeat à Te quidquam sperare, quod non sit sanctissimum. Quæ
virtutes tuæ, quas tam pauci possint imitari, quas nemo reprehendere,
magnum adiumentum à cæteris habuerunt: multum ad percipiendum
colen-

colendumque officium litteris adiuuamur. Propterea qui te modestis-
simum, & continentissimum colimus, ijdemque doctissimum, summa-
que rerum omnium eruditione instructissimum celebramus. Quid enim
inueniri possit tam reconditum in Philosophia, tam implicitum in Iu-
risprudentia, tam difficile in Theologia, cuius Te scientia effugiat?
Studijs humanioribus elapsus Princeps præstantissimus ad earum se-
contulit scientiarum Lycæa, quæ acriorem ingenij aciem, atque ro-
bustius mentis acumen requirunt. Hic eò processit susceptus in litte-
ris labor, ut brevi eos ipsos, quos audiret, in sui admirationem rapé-
ret, omnibusque quos eiusdem disciplinæ socios haberet ingenij glo-
ria, & felicitate præcelleret. Quin adeò Carolum Emmanuelem Ma-
trutium scolasticorum progressuum vulgatus rumor permovet, ut ip-
se Sacro Cathedralis Ecclesiæ Canonicorum Coetui adoptandum cu-
raret, ut scilicet quodam veluti futurorum præsagio Successorem sibi
pararet. Tantum verò ingenij specimen in qua Civitate dedit? Vbi-
nam gentium dedit? In ea scilicet Vrbe, quæ Christiani Orbis caput
eius Vrbs Caput efformaret, e qua in Orbem Vniuersum Orthodo-
xæ fidei dogmata promanarunt: in ea inquam Vrbe, quæ eruditissi-
mis Viris, atque liberalissimis studijs afluat. Inde famæ celebritate
in Patriam ita revocatus est, ut famam ingenij expectatio Viri, expe-
ctationem adventus, & admiratio superarit. Fruere Celsissime Prin-
ceps hoc pulcherrimo laudum tuarum testimonio. Quoties enim re-
cordabere dignitatis Tuæ, toties recordabere tuorum meritorum. Vi-
ve diu, ut eam producas tuis felicitatem, quam summam pollicentur
Virtutes maximæ. Te incolami, incolumes omnes erimus. A te uno
pendet nostra salus, libertas, atque fortunæ. Hoc probè omnibus
compertum est, dum omnes in tua dignitate tanquam in certissimo pu-
blicæ felicitatis auspicio lætantur. Agite Populi, si quem habetis ti-
morem, ponite. Nunc demum gaudendum est, cum eum habeamus
Principem, qui omnia prospera, atque secunda varicinetur.

*Obsequiosus & Fidelis Servus, Subditus, & Vassalus
Franciscus Nicolaus Campi de Hailigenberg Jar. Vtr. Doct.*

ELOGIUM.
IOSEPH VICTORIVS DE ALBERTIS

Claritatem, quam ex Natalibus accepit,
Ex Virtutibus reddidit clariorem.
Felix, quòd Felicem Patrem habuerit
Felicior, quòd moribus expresserit,
Felicissimus, quòd meritis superaverit;
Romam profectus
Novum Ornamentum addidit Sapientiæ Collegio
Vbi Sacrorum Canonum Litteris eruditus
Tantam Doctrinæ laudem obtinuit,
Vt sibi vix Roma sufficeret.
Patriæ restitutus
Cathedrali Ecclesiæ ab Carolo Emmanuele
Tunc Episcopo, ac Principe Tridentino donatus
Virtutes omnes in se tanquam in Theatro circumtulit
Sua magis, quam aliena dignitatis conspicuus.
Principum Prædecessorum suorum Consilijs adhibitus;
Ad Comitja Provincialia ablegatus
Prudentiam doctrina, doctrinam pietate ita coniunxit;
Vt nihil potuerit hortari sanctiùs,
Nihil agere maturiùs.
Demùm omnibus æquè charus, ac utilis
Episcopus creatur
Oves suas excipiens
Vt Bonus Pastor dimittere noluit.

Ad Celsissimum, ac Reverendissimum D. D.

IOSEPHVM VICTORIVM DE ALBERTIS

Electum Episcopum, & Principem Tridenti.

Alluditur ad diem electionis Sancti Vitalis Sacrum.

EPIGRAMMA.

VITALIS recolenda die, qua festa recurrunt,
Tu PRINCEPS tota Victor in Vrbe sonas,
Lata dies urbi VITALIS fanere sacra,
Lætior est PRINCEPS dum meus esse potes.

In eundem

IS
In eundem diem sacrum S. Vitali Patri S.S. Martyrum Gervasij, & Prothasij, quibus Templum Cathedralis Tridenti, & in Annania Enni, dedicata fuerit.

VITALIS Populis sanctissima Pignora donat,
Tu populos illi, Pignoribusque dabis.
VICTOR, cum Populis tanto sis omine PRINCEPS;
Cuncta TIBI, & Populis prospera vaticinor,

In idem Argumentum.

Dum TIBI VITALIS Natorum Templum regenda
Tradidit, augurio quis meliore reget?
Nec meliore reget quisquam, nec prosperiore;
Nam plautus hominum, cęlitumque tenes.

Alluditur ad Stellas in Gentilitio Stemmata Reverendis. Cęlitudini collucentes.

Sydere Stemma micat, TE PRINCIPE Stella micabit,
Dum Populis aderis lux benefida tuis.
Pandit iter Nautis cęcas cynolura per undas.
Tutius ad Cœlum tu mihi pandis iter.

In Idem.

Sydereum referunt celeberrima stemmata lumen:
Debuit hoc tanti PRINCIPIS esse decus.
Quæ VICTORE mica: fingatur in Æthere Stella;
Non erit in toto pulchrius orbe decus.

In Idem.

Cui Sacros cingit venerabilis Infula crines,
Antiquum claro sydere stemma refert.
Indiga Phœbeo resplendent astra decore;
At splendore suo PRINCIPIS astra nitent.
Te cęto Sole deest Astris sua gloria, stella
PRÆSVLE quæ luget splendida semper erit.

De Aquila

De Aquila Gentilitij Stemmatis .

Quæ volucrum Regina Iovi sua fulmina portat ,
Hæc TIBI producit spicula : perde scelus
Humana fabricata manu Iovis arma parantur ,
Sed Divina TIBI tela ministrat Avis .

In Idem .

Reginam volucrum referat cum nobile stemma ;
Præfulis ingenium quam bene pingit avis
Cernit inoffenso Iovis ales lumine solem ,
Firmior in fontem luminis ipse petis .

In idem Distichon .

Despiciet Solem posthac Regina volucrum ;
Namque novum Solem quem veneretur , habet .

Aliud .

Obtinet inter aues sceptrum Iovis armiger ales .
Inter Pontifices maximus esse potes .

*Celsissimus, ac Reverendissimus Princeps eiusdem cum prædecessore
suo cognominis .*

Par tibi cognomen PRINCEPS cum PRINCIPE functo,
Virtutisque decus , quod tulit ipse , refers .
Ergo pares penitus quo nunc essetis utrique
Esse TRIDENTINVM debuit Imperium :

In Idem .

Sceptra recusasti quondam Celsissime Præsul ,
Cum TIBI perfacilis Sacra TIARA foret :
Tunc TV FRANCISCO celsisti VICTOR honorem
Nunc TIBI FRANCISCVS reddidit ecce decus .

Anagramma numericum Annum 1689. iudicans .

Joseph VICTor De aLbertis epIsCopVs , & PrinCeps triDenti
eLeCtVs festo à sanCti VitaLis obliV Insigni .





Biblioteca
Comunale

I
I-OP
C
290

TRENTO

1130 35

ORATIO

AD CELSISSIMUM,

VM D. D.

CTORIVM

R T I S

dem Tridenti
ratum.



TRIDENTI M.DC.LXXXIX.

Apud Franciscum Nicolaum Vida, Typograph. Episcop.
Superiorum Permissu.